

marent, equitum tria milia cornibus adfunderentur. legiones
pro vallo stetere, ingens victoriae decus citra Romanum san-
guinem bellandi, et auxilium, si pellerentur. Britannorum 3
acies in speciem simul ac terrorem editioribus locis constite-
5 rat ita, ut primum agmen in aequo, ceteri per adclive iugum
conexi velut insurgerent; media campi covinnarius eques
strepitu ac discursu complebat. tum Agricola superante 4
hostium multitudine veritus, ne in frontem simul et latera
suorum pugnaretur, diductis ordinibus, quamquam porrectior
10 acies futura erat et arcessendas plerique legiones admone-
bant, promptior in spem et firmus adversis, dimisso equo
pedes ante vexilla constitit.

Ac primo congressu eminus certabatur; simulque con- 36
stantia, simul arte Britanni ingentibus gladiis et brevibus
15 caetris missilia nostrorum vitare vel excutere, atque ipsi
magnam vim telorum superfundere, donec Agricola quat-
tuor Batavorum cohortis ac Tungrorum duas cohortatus est,
ut rem ad mucrones ac manus adducerent; quod et ipsis
vetustate militiae exercitatum et hostibus inhabile [parva
20 scuta et enormis gladios gerentibus]; nam Britannorum
gladii sine mucrone complexum armorum et in arto pugnam
non tolerabant. igitur ut Batavi miscere ictus, ferire 2
umbonibus, ora fodere, et stratis qui in aequo adstiterant,
erigere in collis aciem coepere, ceterae cohortes aemulatione
25 et impetu conisae proximos quosque caedere: ac plerique
semineces aut integri festinatione victoriae relinquebantur.